

haec exceptio ad medicinam refertur, quia aegroti possunt per modum medicamenti aliquid sumere absque peccato, et absque irreverentia; neque in hoc casu Catechumenus, seu Minister dici potest, quod peccent contra obedientiam, Coninek *de Sac. dub. 5. de Integr. Conf.*

§. IX. Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

55 Supponit Textus, baptismum solemnem Adulti fieri diebus praescriptis Sabbati Sancti, et Pentecostes, quia tunc, cum fiat inter Missarum solemnna, de mane evenit. Sed infra annum, quando in diebus ad libitum fieri occurrerit, regula est in contrarium, et ut plurimum (praecipue hic Ferrariae) post prandium fieri hanc celebritatem vidi, nescio vero, an rationabili de causa, quae alioquin debet innotescere, ut sic Populo scandalum auferretur, ubi maxime adsit Populus in Rubricis. et Ritibus instructus, qui uni caeremiorum Magistro tribui, quidquid ab omnibus incongrue, et improspere geritur, Crass. *Prae. caerem. l. 1. c. 2. in fine.* Et eosdem Magistros caeremiorum saepe saepius in plures labi errores satis probat cum *Vot. 8. num. 52. apud. Rambold. Duplat. apud. Farrimell. de Signat. Just. f. 174.*

56 Potius puto, hoc fieri ob commoditatem Ministrorum, et Patrinorum, qui mane non tam diluculo ad sacra duci solent. Sed hoc sine peccato fieri possit, graviter dubito, cum non liceat a lege scripta discedere, nisi concurrant alii actus, qui ex charitatis, vel officii obligatione prius adimplendi sint, Monacell. *Prae. suppl. ad Tom. 2. Tit. 16. fom. 1. num. 282. §. 7.*

57 Quousque vero protrahebatur istud jejunium? Qui baptizabantur, usque ad horam vespertinam jejunabant: ita B. Linus de Passione S. Pauli. *Sicque procurrente Jejuniio usque ad vesperam, baptizari sunt,* atque hac jejunii lege etiam Infantes obstrictos fuisse, notat Casal. *c. 5. §. qui baptizabantur.* Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii ait: *Paschatis supervenit dies, et dum sacratissimo Sabbato, in quo omnes, etiam parvuli baptizandi jejunant, ipse jejunare non posset, caepit prius maerore, quam infirmitate deficere.* Et hoc servatum est donec imbecilla puerorum aetate diuturno jejuniio nimis afflictata, matutinum tempus suffectum fuit, de quo *Synod. Coloniensis. cap. 15. Vicecom l. 4. c. 4.*

58 Epulae fiebant post Baptismum; notat enim Casal. *d. quod baptizati excipiebant Convivio Ministros, et susceptores: suc-*

cessu vero temporis prohibita, aut saltem moderata fuere praedicta convivia *ex Moguntina Synodo 11. c. 16. ita definiente: Comessiones vero, et parum sobria convivia, quae quibusdam in locis post Baptismum fiunt, per civiles Magistratus inhiberi, aut saltem ad moderationem Christianis dignam reduci volumus.*

Si igitur prohibebantur istae epulae, et quidem rigore post susceptum Baptismum, quando jam omnia sacra completa erant: multo magis inhiberi debent ante administrationem, seu susceptionem Baptismi. Addo insuper in fine *Ordinis Baptismi Adultorum:* ineste mandatum de suscipiendo SS. Eucharistiae Sacramento per baptizatos, ut suo loco dicemus; quare, si non ob alium finem, saltem propter hunc, abstinentium esse ab epulis, et prandiis statutum fuit per nostrum Textum.

59 Laetitiae signa utique conveniunt propter baptizatos, de antiqua consuetudine, sed non comessiones, epulae, et ebrietates, Casal. *de §. laetitiae.* Remanet adhuc vestigium gaudii pro baptizatis in octiduo Paschae per verbum illud *Alleluja,* quia baptizati e sacro Fonte consurrexerunt cum Christo.

§. X. Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum poeniteat:

60 61 62 D. Augustinus *Ser. 11. ad Fratres in Eremo,* inquit: *O compunctio sancta, sine qua Adultis non prodest Baptismus!* et S. Hieron. l. 4. in Matth. *Cristus jussit Apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent Sacramento.* Ex quo deducitur, quod si Adultus habens peccata mortalia, illorum non poeniteat ante susceptionem Baptismi, quamvis credat, et intendat recipere Sacramentum, non obtinet gratiam, licet obtineat Sacramentum, et characterem. Gratia solummodo recedente peccato obtinebitur post Baptismum, mediante tamen attritione cum Sacramento poenitentiae, vel mediante contritione, cum proposito peccata confitendi, ut optime concludit Card. de Laurea *de Sac. in gener. disp. 11. art. 4. et 5. et de Baptism. disp. 14. art. 6.* Sed si in Baptismo non habuit attritionem peccatorum, ex oblivione, vel ignorantia, docet Mastrius *de Sacram. disp. 17. num. 56 57.* per attritionem solam post Baptismum, obtineri posse gratiam, et deletionem peccatorum. Sed si scienter in peccato gravi susceperit Baptismum, tunc non sufficit sola attritio, sed requiritur Sacramentum Poenitentiae cum actuali confessione pecca-

Phrenesis sunt infirmitates, quae patientem alienant a mente, vel ita ejus mentem ligant, ut nihil operari valeant. Durante in homine una, vel altera harum infirmitatum, libere agere non potest; ideo non est capax Baptismi, eo quia voluntarie petenti datur, et vigilantibus: requiritur enim intentio suscipiendi Baptismum, Coninck *d. q. 68. art. 7. num. 50.*

Pro explicatione hujus Rubricae inservit quidquid in antecedenti dictum est de amente, et furioso habente lucida intervalla.

§. XIV. Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu, et conditione eorum, qui baptizari petunt, praesertim exterorum, de quibus facta diligenti inquisitione, num alias, ac rite baptizati, caveat ne quis jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quaestum, vel ob aliam causam, fraude, dolove iterum baptizari velit.

69 70 Ad fraudes evitandas loquitur noster Textus, quia dolosi homines non desunt, et sunt plerumque Vagi, qui Baptismo ad quaestum, et pro lucro utuntur in diversis civitatibus, adeo ut bis, et ter, et quater Baptismo quandoque abluantur in diversis Regionibus.

71 72 Si quis Adultus accederet ad Baptismum cum fictione, nihil credens esse Baptismum, sed joci causa, vel specie turpis lucri, iste nullum recipit effectum Sacramenti, neque characterem, Clericat. *de Bapt. decis. 33. n. 6.* Mirabile est exemplum quod legitur apud Bollandum, relat. a Clericat. *d. l.* Quidam Infidelis fecte Baptismum suscepit, et vix completa ministracione Sacramenti, irruiit ventus validus, et vestem candidam, qua falsus Neophytus erat indutus, violenter arripuit, ac ea illum spoliavit, indicans nullum effectum Baptismi recepisse, Bolland, 13. *Januar. ex Act. S. Hilar. Episcopi Pict.* Hinc est quod Ecclesia non recipit Adultos sua esponte venientes antequam eorum voluntatem perpendat, et probet, *c. Judae. c. plerique, de consec. dist. 4. c. sicut extra, de Judaeis, Ricciull. de Jure pers. l. 2. c. 32. num 15.*

§. XV. Omnes autem, de quibus re diligenter investigata, probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediatur, sub conditione baptizentur.

73 Axioma est, In dubio, tutior pars est eligenda. Ita in hoc casu cum clare non constet de Baptismo collato, et probabiliter, sive cum aliquo fundamento rationabili dubitetur, melius est baptizare sub conditione; quia cum conditio nihil ponat in esse, non renovat baptismum, quando jam collatum sit. Ita responsum fuit per S. C. Concilii in una *Neapolit. Matrimonii, die 1. Septembris 1714.* Ubi dubio. An attenta difficultate inveniendi Fidem Baptismi, annuendum fuisse, ut quaedam mulier Sacramento Matrimonii copularetur? Resp. *Esse baptizandam sub conditione, et secreto: ut deinde procedi posse ad contractum Matrimonii ser. ser. ex Ursaya. disc. Eccle. t. 1. p. d. 10. n. 68.*

Per illa verba: *Si nihil aliud impediatur.*, intelligi debet: si sit instructus, si petat baptizari, si voluntarie accedat, et si careat aliis quibuscumque impedimentis, quae obstant Baptismo.

§. XVI. Haeretici vero ad catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma, aut materia servata non est, rite baptizandi sunt; sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant, et detestentur; et in fide Catholica diligenter instruuntur; ubi vero debita forma, et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

74 Haeticorum caterva, quae tot capita habet, quot sententias, in suis ritibus inconstans, et varia est. Multi sunt qui circa Baptismum, ejus materiam, et formam, essentialiter errant. Flagellantes dicebant, materiam Baptismi esse sanguinem tum flagellorum, tum circumcisionis, juxta illud Apostoli: *Sine sanguinis effusione non sit remissio.* Jacobitae dicebant, materiam baptismi esse quandam igneam adulationem faciendam in fronte, vel in genis Parvulorum, juxta illud: *In Spiritu Sancto: et igne,* Matth. 3. Ultimo Lutherus *cap. 7. colloq. symp.* docuit sufficere ad materiam Baptismi quemlibet liquorem, ut Aquam, Vinum, cervisiam, et quidquid potest madefacere, de quo vide Clericat. *de Bapt. decis. 29. n. 1. 2. etc.*

75 Quicumque alii sint Haeretici, qui circa materiam, formam et intencionem Baptismi errent, et modo suo sint baptizati, quando recipiscant, et ad Ecclesiam Catholicam veniant, isti omnes sunt rite baptizandi, quia Baptismus illorum verus Baptismus non fuit.

76 Quando vero adsit talis Haeticus, qui suscepit Baptismum, servata debite materia, et forma, ut multi sunt qui er-

rant circa alia Sacramenta, vel circa alios articulos, tunc sup-
plenda sunt tantum ommissa circa caeremonias.

77 Insuper eodem modo, quo infideles debent de peccatis
suis poenitentiam agere, ita et Haeretici de erroribus suis, quos
si non detestati fuerint ante Baptismum, in eodem Baptismo
non obtinent gratiam, sed tantum characterem, dummodo ac-
cedant cum debita intentione suscipiendi Baptismum: Sanctus
quippe Augustinus *lib. de Bapt. cap. 14.* ait: Nec interest cum
de Sacramenti integritate tractatur quid credat, et quali fide
imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: interest quidem plu-
rimum ad salutis viam; sed ad Sacramenti quaestionem nihil
interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramen-
tum, sed perversam fidem.

78 Episcopi tamen, juxta sensum Textus praesentis, pos-
sunt dispensare a supplemento omissarum caeremoniarum, jus-
tis de causis animum illorum moventibus, ne forte oriantur
inutiles disputationes de validitate, seu de necessitate earum-
dem caeremoniarum, praecipue in civitatibus, in quibus inha-
bitent multi Haeretici. Certe enim Baptismus sine caeremoniis
valet:

§. XVII. Caeterum legantur, et serventur ea, quae su-
pra de Baptismo in communi praescripta sunt.

Nempe quae de materia, forma, ministro, Patrinis, tempore,
loco, et aliis ad Baptismum necessariis praescripta sunt in hoc
Rituale, quae omitti non debent, et communia sunt tum Par-
vulis, tum Adultis, et Catechumenis in Baptismo administran-
do, et suscipiendo.

ORDO BAPTISMI

ADULTORUM.

TITULUS DECIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Baptizare convenit Sacerdoti ex Officio.
- 2 Quae parata sunt pro Baptismo puerorum, debent esse parata etiam pro Bap-
tismo Adultorum.
- 3 Pluviale est vestis solemnis Ecclesiastica.
- 4 Pluviale unde dictum?
- 5 Pabinitus color quinam?
- 6 Clerici multi adhibendi in solemni Baptismo Adultorum.
- 7 Preces in baptismo faciendae sunt aperto capite.
- 8 Crucis signum est armatura fidei.
- 9 Preces ante Baptismum Adultorum possunt omitti.
- 10 Psalmorum 8. 28. 41. significatio.
- 11 Electi cur dicantur qui baptizantur Adulti?
- 12 Competentes vocabantur Catechumeni electi.
- 13 Electi ultimum gradum habent inter baptizandos.
- 14 Scrutinium olim fiebat circa electos.
- 15 Catechismus praecedere debet Baptismo.
- 16 Catechesis facienda est ad fores Ecclesiae.
- 17 Constitutio Benedicti XIII. super hoc.
- 18 Masculi, et Foeminae invicem separandi ante Baptismum.
- 19 Masculi ad dexteram collocandi sunt.
- 20 Nomen novum imponitur Catechumenis.
- 21 Catechumeni non semper tenentur mutare nomen.
- 22 Judae nomen male sonat apud fideles.
- 23 Nomina impiorum antecessorum non debent tolerari.
- 24 Nominis dandi in Baptismo mos antiquissimus.
- 25 Ex nominis mutationis vitae mutandae argumentum desumitur.
- 26 Abrenuntiationes Catechumenorum similes illis Infantium.
- 27 Symboli compendium recitatur a Catechumeno.
- 28 Insufflatio in Catechum. sit graviter.
- 29 Halitus sit quia Spiritum Sanctum designat.
- 30 Verba quae mutantur juxta qualitatem Sanctae Adulti baptizandi.
- 31 Errores diversorum Infidelium enumerantur.
- 32 Haeretici ante Baptismum examinandi.
- 33 Magister Caeremoniarum debet esse informatus de errore Catechumeni.
- 34 Secta exprimeuda est proprio nomine.

torum, vel contritio cum voto confitendi. Ideo non frustra Textus noster praecipit, ut si Adultus se peccasse cognoscat, peccatorum suorum poeniteat ante susceptionem Sacramenti: Post hanc poenitentiam cuncta peccata delentur. Dixi ante susceptionem Sacramenti, quia peccata non possunt esse materia Sacramenti Poenitentiae ante Baptismum; nam non possunt esse subjecta clavibus Ecclesiae, Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. Coninck *art.* 6. *de Bapt.* Et quamvis Cabassut. *dissert.* 4. per allegata a Sarnello *Lett. Eccl. T. 2. lett.* 32. de Adultorum confessione loquens, dicat: *Praemittebatur Adultorum Baptismo, Peccatorum omnium secundum distinctas species, ad aures Sacerdotis confessio, quae Graecis Exomologesis dicitur.* Attamen male ab eo praecipitur, quod Exomologesis sit Confessio auricularis ad modum nostrarum Confessionum: late ista vox explicatur a doctissimo Alaspina *de Vet. Eccl. Rit. l. 2. obs.* 26. et concluditur, nihil aliud esse hanc Exomologesim nisi actus illos, quibus palam quis testatur se peccasse. Nihilominus D. Thomas, *p.* 3. *qu.* 68. *art.* 6. ait.: *Si qui tamen baptizandi, ex devotione sua, peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc, quod contra peccata consueti eis spiritualis informatio traderetur.* Quae verba satis clare explicat Sarnellus *d. l.*

63 64 In primitiva Ecclesia baptizandi variis poenitentiae generibus onerabantur, de quibus videndus diffuse Alaspina *d. l. 2. obs.* 1. *et* 7. Sic D. Petrus Act. Apost. 2. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Quae verba, memini, me usque de anno 1723, dum Sacrae Scripturae Lectiones haberem in Ecclesia Cathedrali Ferrariae, sic interpretatum fuisse, cum Card. Cajetano *in Act.* 2. Nomine Poenitentiae antecedentis necessario in Adultis sola detestatio peccatorum praeteritorum intelligitur. Baptismus enim supplet reliqua necessaria ad remissionem peccatorum. *Lect.* XLII.

§. XI. Amentes et furiosi, non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint: tunc enim de iis idem iudicium faciendum est, quod de Infantibus: atque in fide Ecclesiae baptizari possunt.

65 Amentes, et furiosi aequiparantur Infantibus, qui perfecto usu rationis non gaudent. Dicuntur Amentes quasi sine mente, quia ratio mentis laeditur, Clericat. *de Extrem. Unct. dec.* 80. *num.* 15. ubi docte tractat hanc materiam. *Distinctio*

Textus est satis clara: si haec Amentia superveniat in Adulto, cum hic ante talem infirmitatem, usum rationis habuerit, et non petierit baptizari; iudicium Dei adorari debet, et nihil amplius: quasi in poenam suae pertinaciae, et tarditatis permiserit eum alienari a mente, nec posse amplius petere quod in tempore postulare debuerat.

Si vero a prima infantia imposita fuerit, continua infantia in eo consideranda est, et praemio Infantium donari, nempe Baptismo saltem sub conditione, si capax sit. Ecclesia enim piissima in multis supplet.

§. XII. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitae periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

66 Furiosi et insani, quandoque perpetui, et immutabiles sunt, quandoque ad tempus: de primis jam dictum est in antecedenti §. modo de illis, qui dicuntur habere lucida intervalla. Haec lucida intervalla sunt spatia temporis, in quibus lux mentis in suo esse est, et intellectum illuminat. Tunc qui istis lucidis intervallis gaudet, in perfecta libertate est, et bona, et mala aptus est distinguere. Hoc tempus igitur ita lucidum, in suo meridie sumi debet, et si postulet baptizari, Baptismus petenti conferendus est; quia cum ab actu voluntario suscipiat robur Baptismus, nec beneficium conferatur in invitum, ut Regula Juris est, adimplenda est talis postulatio, licet non semper lux mentis clarescat.

67 Hoc totum dictum sit extra periculum vitae, quia imminente tali periculo, omnia jura clamant favore Animae illius, quae jam postulaverat solvi a vinculis Diaboli: et ideo quamvis non sit compos mentis, baptizandus est homo in furore, et amentia non perpetua.

§. XIII. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo, aut phrenesi laborat; ut tantum vigilans, et intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.

68 Lethargus, seu pene inexpugnabilis somni necessitas, et